

QUAESTIO VICESIMA PRIMA

De bono

1. *Utrum bonum aliquid addat super ens.*
2. *Utrum ens et bonum convertantur secundum supposita.*
3. *Utrum bonum secundum rationem sit prius quam verum.*
4. *Utrum omnia sint bona bonitate prima.*
5. *Utrum bonum creatum sit bonum per suam essentiam.*
6. *Utrum bonum creatum consistat in modo, specie et ordine sicut Augustinus dicit.*

Articulus primus

Quaestio est de bono. Et primo quaeritur utrum bonum aliquid addat super ens. Et videtur quod sic: unumquodque enim est ens per essentiam suam; creatura autem non est bona per essentiam sed per participationem; ergo bonum addit aliquid secundum rem super ens.

2. Praeterea, cum bonum in ratione sua includat ens et tamen bonum secundum rationem distinguatur ab ente, oportet quod ratio boni addat supra rationem entis; sed non potest dici quod addat super ens aliquam negationem, sicut unum quod addit super ens indivisionem, quia tota ratio boni in positione consistit; ergo aliquid positive addit bonum super ens, et ita videtur quod aliquid realiter addat.

3. Sed dicebat quod addit respectum ad finem. — Sed contra, secundum hoc enim bonum nihil aliud esset quam ens relatum; sed ens relatum concernit determinatum genus entis quod est ad aliquid; ergo bonum est in aliquo uno praedicamento determinato: quod est contra Philosophum in I Ethicorum ubi ponit bonum in omnibus generibus.

4. Praeterea, ut potest accipi ex dictis Dionysii in iv cap. De divinis nominibus, bonum est diffusivum sui et esse, ergo per hoc est aliquid bonum per quod est diffusivum; sed diffundere importat actionem quandam; actio autem ab essentia procedit mediante virtute; ergo aliquid dicitur esse bonum ratione virtutis superadditae ad essentiam: et sic bonum addit aliquid realiter super ens.

5. Praeterea, quanto magis receditur ab uno primo simplici tanto maior in rebus differentia invenitur; sed ens et bonum in Deo sunt unum re et distinguuntur ratione; ergo in creaturis distinguuntur plus quam ratione et ita distinguuntur re cum supra distinctionem rationis non sit nisi distinctio rei.

6. Praeterea, accidentalia realiter addunt supra essentiam rei; sed bonitas est rei creatae accidentaliter, alias non posset bonitatem amittere; ergo bonum addit aliquid realiter super ens.

7. Praeterea, omne illud quod dicitur per informationem alicuius addit aliquid realiter

A 4 creatura...non] no (o imp.) praem. pA 9 ens] idem mac. praem. pA 23 bonum] divisio praem. pA 28 per quod] q praem. pA 30 procedit] p imp. add. pA 37 creaturis] creatio praem. pA 39 re] p praem. pA 42 rei] er praem. pA 43 amittere A

Φ 2 aliquid] om. β L M post addat δ 4 suam...essentiam⁵ hom. om. δ² 9 tamen] cum Φ 10 distinguatur...rationem hom. om. δ² 28 diffusivum] sui add. Φ 33 realiter om. Φ (-δ) 39 distinctionem] diffinitionem Φ 40 distinctio] diffinitio Φ (-γ) 43 amittere] antecedere Φ (-δ)

1 Parall.: *Super Sent.* I d. 1 expos. text.; ibid. d. 8 q. 1 a. 3; *De verit.* q. 1 a. 1; *De pot.* q. 9 a. 7 ad 6; *I Pars* q. 5 a. 1. 13 unum...indivisionem: cf. supra q. 1 a. 1 141 in nota. 23 *Ethic.* I 6 (1096 a 19 et 23). 26 § 4 (PG 3, 700 A; Dion. 168) sec. Thomam *I Pars* q. 5 a. 4 arg. 2.

super illud, eo quod nihil informatur se ipso; sed bonum dicitur per informationem ut dicitur in commento libri De causis; ergo bonum addit aliquid supra ens.

50 8. Praeterea, nihil determinatur se ipso; sed bonum determinat ens; ergo bonum addit aliquid super ens.

9. Sed dicebat quod bonum determinat ens secundum rationem. — Sed contra, aut illi rationi respondet aliquid in re aut nihil; si nihil, sequetur quod ratio illa sit cassa et vana; si autem aliquid respondet in re, ergo habetur propositum, quod bonum aliquid realiter addat super ens.

60 10. Praeterea, relatio specificatur secundum id ad quod dicitur; sed bonum dicit relationem ad determinatum terminum, scilicet ad finem; ergo bonum dicit specificatam relationem; sed omne ens specificatum addit aliquid realiter super ens commune; ergo et bonum realiter aliquid addit super ens.

11. Praeterea, sicut bonum et ens convertuntur ita homo et risibile; sed risibile quamvis convertatur cum homine addit tamen realiter super hominem, scilicet ipsam hominis proprietatem, quae est de genere accidentium; ergo et bonum realiter addit super ens.

133^{rb} SED CONTRA est quod Augustinus dicit quod
75 « in quantum Deus bonus est sumus, in quantum vero sumus boni sumus »; ergo videtur quod bonum non addat aliquid super ens.

2. Praeterea, quaecumque ita se habent quod unum addit super alterum re vel ratione, unum eorum potest intelligi sine altero; sed ens non potest intelligi sine bono; ergo bonum non addit aliquid super ens nec re nec ratione. Probatio mediae: plus potest facere Deus quam homo intelligere; sed non potest Deus facere aliquod
85 ens quod non sit bonum quia hoc ipso quod est

a bono bonum est, ut patet per Boetium in libro De hebdomadibus; ergo nec intellectus potest hoc intelligere.

RESPONSIO. Dicendum quod tripliciter potest aliquid super alterum addere: uno modo
90 quod addat aliquam rem quae sit extra essentiam illius rei cui dicitur addi, sicut album addit aliquid super corpus, quia essentia albedinis est praeter essentiam corporis. Alio modo dicitur aliquid addere super alterum per modum
95 contrahendi et determinandi, sicut homo addit aliquid super animal, non quidem ita quod sit in homine aliqua res quae sit penitus extra essentiam animalis, alias oporteret dicere quod non totum quod est homo esset animal sed animal
100 esset pars hominis; sed animal per hominem contrahitur quia id quod determinate et actualiter continetur in ratione hominis, implicite et quasi potentialiter continetur in ratione animalis; sicut de ratione hominis est quod habeat animam rationalem, de ratione autem animalis est quod habeat animam, non determinando ad rationalem vel non rationalem; ista tamen determinatio ratione cuius homo super animal addere dicitur in aliqua re fundatur. Tercio modo dicitur aliquid addere super alterum
110 secundum rationem tantum, quando scilicet aliquid est de ratione unius quod non est de ratione alterius, quod tamen nihil est in rerum natura sed in ratione tantum, sive per illud contrahatur id cui dicitur addi sive non: caecum enim addit aliquid super hominem, scilicet caecitatem, quae non est aliquid ens in natura, sed rationis tantum ens est comprehendens privationes; et per hoc homo contrahitur, non
120 enim omnis homo caecus est; sed cum dicimus talpam caecam non fit per hoc additum aliqua contractio.

Non autem potest esse quod super ens uni-

A 62 relationem *hic transp.* A] *post terminum* pA 69 ita] et *add.* pA 73 super ens: *in appendice col. 133^{ra}* 78 quaecumque] *idem ante trans. ad lin. praem.* pA 80 ens *hic* A] bonum pA 81 intelligi] ens *add.* pA (*cf. nota superior*) 84 non] hoc *praem.* pA 87 hebdomadibus A 91 essentiam] naturam *praem.* pA 92 addi (*ex additi* pA) *em.* A 97 quod] aliquid *add.* pA 107 non determinando] *indetermini praem.* pA 113 non est] es (*s imp.*) *praem.* pA 118 aliquid *clare* A 120 homo *rep.* A, et alterum *delevimus* 124 universale aliquid] ad (*d imp., incip.* aliquid) *praem.* pA

Φ 51-53 Praeterea...ens (*scil. arg.* 8) *om.* Φ 62 id] illud Φ dicit] dicitur Φ (*def. 8^a*) relationem *om.* Φ 63 terminum] genus Φ 66 et *om.* Φ (*def. 8^a*) 71 hominem *ante* realiter⁷⁰ Φ 82 aliquid *om.* Φ 95 addere] addi Φ 106 autem *om.* Φ

49 Comm. 18 (17). 68 bonum...convertuntur: *cf. supra* q. 1 a. 1 64 in nota. 69 homo et risibile: *cf. supra* q. 1 a. 5 158 in nota. 74 *De doct. christ.* I c. 32 (PL 34, 32) sec. Thomam *I Pars* q. 5 a. 1 sed c. 87 Ed. Peiper, p. 172, 114. 121 homo...caecam: exempla Arist. *Metaph.* V c. 22 (1022 b 22 sqq.).

125 versale aliquid addat aliquid primo modo, quam-
vis illo modo possit fieri additio super aliquod
ens particulare; nulla enim res naturae est quae
sit extra essentiam entis universalis quamvis
130 aliqua res sit extra essentiam huius entis. Se-
cundo autem modo inveniuntur aliqua addere
super ens quia ens contrahitur per decem gene-
ra, quorum unumquodque addit aliquid su-
per ens, non quidem aliquod accidens vel ali-
quam differentiam quae sit extra essentiam en-
135 tis sed determinatum modum essendi qui fun-
datur in ipsa existentia rei. Sic autem bonum
non addit aliquid super ens, cum bonum divi-
datur aequaliter in decem genera ut ens, ut
patet in I Ethicorum.

140 Et ideo oportet quod vel nihil addat super
ens vel addat aliquid quod sit in ratione tan-
tum; si enim adderet aliquid reale oporteret
quod per rationem boni contraheretur ens ad
aliquod speciale genus. Cum autem ens sit id
145 quod primo cadit in conceptione intellectus,
ut Avicenna dicit, oportet quod omne aliud no-
men vel sit synonymum enti, quod de bono dici
non potest cum non nugatorie dicatur ens bo-
num, vel addat aliquid ad minus secundum ra-
150 tionem: et sic oportet quod bonum ex quo non
contrahit ens addat aliquid super ens quod sit
rationis tantum.

Id autem quod est rationis tantum non po-
test esse nisi duplex, scilicet negatio et aliqua
155 relatio. Omnis enim positio absoluta aliquid in
rerum natura existens significat. Sic ergo supra
ens, quod est prima conceptio intellectus, unum
addit id quod est rationis tantum, scilicet ne-
gationem: dicitur enim unum quasi ens indivi-
160 sum; sed verum et bonum positive dicuntur
unde non possunt addere nisi relationem quae
sit rationis tantum. Illa autem relatio, secundum

Philosophum in V Metaphysicae, invenitur esse
rationis tantum secundum quam dicitur referri
id quod non dependet ad id ad quod refertur, 165
sed e converso cum ipsa relatio quaedam depen-
dentia sit, sicut patet in scientia et scibili, sensu
et sensibili: scientia enim dependet a scibili sed
non e converso. Unde relatio qua scientia refer-
tur ad scibile est realis, relatio vero qua scibile 170
refertur ad scientiam est rationis tantum; dicitur
enim scibile relatum secundum Philosophum non
quia ipsum referatur sed quia aliud referatur
ad ipsum. Et ita est in omnibus aliis
quae se habent ut mensura et mensuratum, vel 175
perfectivum et perfectibile. Oportet igitur quod
verum et bonum super intellectum entis ad-
dant respectum perfectivi.

In quolibet autem ente est duo considerare,
scilicet ipsam rationem speciei et esse ipsum 180
quo aliquid subsistit in specie illa. Et sic aliquod
ens potest esse perfectivum dupliciter: uno
modo secundum rationem speciei tantum, et
sic ab ente perficitur intellectus¹ qui percipit
rationem entis, nec tamen ens est in eo secun- 185
dum esse naturale; et ideo hunc modum perfi-
ciendi addit verum super ens: verum enim est
in mente ut Philosophus dicit in VI Metaphy-
sicae, et unumquodque ens in tantum dicitur
verum in quantum est conformatum vel confor- 190
mabile intellectui; et ideo omnes recte diffi-
nientes verum ponunt in eius diffinitione intel-
lectum. Alio modo ens est perfectivum alterius
non solum secundum rationem speciei sed
etiam secundum esse quod habet in rerum na- 195
tura, et per hunc modum est perfectivum bo-
num; bonum enim in rebus est ut Philosophus
dicit in VI Metaphysicae. In quantum autem
unum ens secundum esse suum est perfectivum
alterius et consummativum, habet rationem 200

A 129 entis] vel extra *add.* pA 131 decem] x A 134 entis] *idem mac. praem.* pA 138 ut ens (*ex ute ens pA*) *em.* A
141 ratione] *idem mac. praem.* pA 143 boni *em.* A] *conf.* pA 160 positive] positione (*potius praem.* pA 167 sensu] *idem*
mac. et imp. praem. pA 171 refertur] s (*ut videtur praem.* pA 173 aliud (*ex aliquid ut videtur pA*) *em.* A 182 ens *em.* A]
conf. pA 184 perficitur intellectus in *appendice col.* 133^{rb} 190 verum...conformatum] ens (*conf.*) in quantum est conformata
praem. pA 190 conformabile *scrips.*] confortabile *casu* A 195 quod] prout *praem.* pA 196 hunc] *idem conf. et imp. praem.*
pA 196 est] et *praem.* pA 198 In quantum] Sic igitur bonum nichil aliud est *praem.* pA

Φ 125 aliquid² *om.* β γ δ² 126 additio] aliqua *praem.* Φ 132 aliquid] aliqua Φ (*def.* δ²) 142 adderet] adderetur (*post*
reale δ) Φ (-γ) 145 intellectus] mentis Φ 146 omne] esse α β Ot³ 154 et] vel Φ (-δ) 158-162 scilicet...tantum *hom. om.* δ²
163 invenitur] dicitur Φ 190 verum *om.* Φ (-δ¹) *def.* δ² est conformatum] *inv.* α γ δ formatum est β 199 est *ante* secun-
dum Φ (-γ)

139 Arist. *Ethic.* I 6 (1096 a 19 et 23). 146 Cf. supra q. 1 a. 1 104. 148 nugatorie: cf. supra q. 1 a. 1 60 in nota.
159 unum...indivisum: cf. supra q. 1 a. 1 141 in nota. 163 *Metaph.* V 17 (1020 b 26 sqq.). 173 Cf. *Metaph.* V 17 (1021
a 29). 189 *Metaph.* VI 4 (1027 b 25). 191 omnes: cf. supra q. 1 a. 1 180 sqq. 198 *Metaph.* VI 4 (1027 b 25).

- finis respectu illius quod ab eo perficitur; et inde est quod omnes recte diffinientes bonum ponunt in ratione eius aliquid quod pertinet ad habitudinem finis: unde Philosophus dicit in I Ethicorum quod « bonum optime diffinierunt dicentes quod bonum est quod omnia appetunt ». Sic ergo primo et principaliter dicitur bonum ens perfectivum alterius per modum finis; sed secundario dicitur aliquid bonum quod est ductivum in finem, prout utile dicitur bonum vel quod natum est consequi finem, sicut et sanum dicitur non solum habens sanitatem sed et faciens et conservans et significans.
1. Ad primum igitur dicendum quod cum ens dicatur absolute, bonum autem superaddat habitudinem causae finalis, ipsa essentia rei absolute considerata sufficit ad hoc quod per eam aliquid dicatur ens, non autem ad hoc quod per eam dicatur aliquid bonum. Sicut enim in aliis generibus causarum habitudo secundae causae dependet ex habitudine causae primae, primae vero causae habitudo non dependet ex aliquo alio, ita etiam est in causis finalibus quod secundi fines participant habitudinem causae finalis ex ordine ad ultimum finem, ipse autem ultimus finis habet hanc habitudinem per se ipsum. Et inde est quod essentia Dei qui est ultimus finis rerum, sufficit ad hoc quod per eam Deus dicatur bonus; sed essentia creaturae posita nondum dicitur res bona nisi ex habitudine ad Deum ex qua habet rationem causae finalis. Et pro tanto dicitur quod creatura non est bona per essentiam sed per participationem: uno modo scilicet in quantum ipsa essentia secundum rationem intelligendi consideratur ut aliud quid quam habitudo ad Deum, a qua habet rationem causae finalis et ad quem ordinatur ut ad finem; sed secundum alium modum creatura potest dici per essentiam bona in quantum scilicet essentia creaturae non invenitur sine habitudine ad Dei bonitatem; et hoc intendit Boetius in libro De hebdomadibus.
2. Ad secundum dicendum quod non solum negatio dicit id quod est rationis tantum sed etiam quaedam relatio, ut dictum est.
3. Ad tertium dicendum quod omnis relatio realis est in genere determinato, sed relationes non reales possunt circuire omne ens.
4. Ad quartum dicendum quod diffundere, licet secundum proprietatem vocabuli videatur importare operationem causae efficientis, tamen largo modo potest importare habitudinem cuiuscumque causae, sicut influere et facere et alia huiusmodi. Cum autem dicitur quod bonum sit diffusivum secundum sui rationem, non est intelligenda diffusio secundum quod importat operationem causae efficientis sed secundum quod importat habitudinem causae finalis; et talis diffusio non est mediante aliqua virtute superaddita: dicit autem bonum diffusionem causae finalis et non causae agentis, tum quia efficiens in quantum huiusmodi non est rei mensura et perfectio sed magis initium, tum etiam quia effectus participat causam efficientem secundum assimilationem formae tantum, sed finem consequitur res secundum totum esse suum; et in hoc consistebat ratio boni.
5. Ad quintum dicendum quod dupliciter aliqua posunt esse unum in Deo secundum rem: uno modo ex parte eius in quo sunt tantum et non ex propria ratione, sicut scientia et potentia; non enim scientia ex hoc quod scientia est idem quod potentia secundum rem, sed ex hoc quod est divina; et quae sic sunt unum re in Deo in creaturis inveniuntur differre se-

A 210 prout utile *em.* A] prout (*trans. ad lin.*) tile pA 225 participant] habent *praem.* pA 235 uno modo] Alio vero modo per essentiam essentiam (*essentiam bis conf. et imp. primo deletum*) essentiam suam res bona est in quantum ex hoc ipso quod habet esse habet habitudinem ad deum et hoc intendit boetius in libro de ebdo (*ebdo conf. et primo deletum*) ebdomadibus *add.* pA (*cf. lin. 239-244*). *Totum deletur per va-cat et lineam transversam* 250 omne] os (*inc. omnis?*) *praem.* pA 262 bonum *em.* A] *conf.* pA 263 agentis] *idem mac. praem.* pA 265 initium *em.* A] *conf.* pA 267 formae tantum *inv.* pA 269 suum] *idem conf. praem.* pA 273 et...sicut scientia] sicut scientia *praem.* pA

Φ 203 pertinet] pertineat Φ 213 et faciens] perficiens Φ 220 dicatur aliquid *inv.* Φ 225 quod] quia Φ 228 per se ipsum] ex se ipso Φ 230 Deus dicatur *inv.* Φ 249 realis] talis Φ (-γ) 253 operationem] relationem δ 257 sit] est Φ 266 etiam] *post* quia Φ (-δ) *post* effectus δ

205 Cap. 1 (1094 a 3) sec. transl. Lincolniensis (ed. Gauthier, p. 141). 209 dicitur...significans: cf. Arist. *Topic.* VII c. 3 (153 b 36 sqq.). 244 Cf. supra lin. 87.

cundum rem. Alio modo ex ipsa ratione eorum quae dicuntur esse unum realiter in Deo, et
 280 sic bonum et ens sunt unum in Deo realiter, quia de ratione boni est quod non differat secundum rem ab ente; et ideo ubicumque invenitur bonum et ens, sunt idem secundum rem.

285 6. Ad sextum dicendum quod sicut ens est quoddam essenziale et quoddam accidentale, ita et bonum quoddam accidentale et quoddam essenziale; et eodem modo amittit aliquid bonitatem sicut esse substantiale vel accidentale.

290 7. Ad septimum dicendum quod ex habitudine praedicta contingit quod bonum secundum rationem dicatur ens informare vel determinare.

8. Unde patet responsio ad octavum.

295 9. Ad nonum dicendum quod isti rationi aliquid respondet in re, scilicet realis dependentia eius quod est ad finem ad finem ipsum, sicut est et in aliis relationibus rationis.

133^{vb} 300 10. Ad decimum dicendum quod quamvis bonum dicat aliquam specialem habitudinem, scilicet finis, tamen ista habitudo¹ competit cuilibet enti nec ponit aliquid secundum rem in ente; unde ratio non sequitur.

305 11. Ad undecimum dicendum quod risibile quamvis convertatur cum homine, tamen addit aliquam naturam extraneam super hominem, quae est praeter essentiam hominis; sic autem nihil potest addi super ens, ut dictum est.

310 1. Primum vero quod in contrarium obicitur concedimus, quod bonum non addit secundum rem supra ens.

315 2. Secundum vero probat quod nec etiam secundum rationem, ideo ad secundum dicendum quod dupliciter potest intelligi aliquid sine altero: uno modo per modum enuntiandi, dum

scilicet intelligitur unum esse sine altero; et hoc modo quicquid intellectus potest intelligere sine altero Deus potest facere: sic autem ens non potest intelligi sine bono, ut scilicet intellectus intelligat aliquid esse ens et non esse
 320 bonum; alio modo potest intelligi aliquid sine altero per modum diffiniendi, ut scilicet intelligatur unum non cointellecto altero, sicut animal intelligitur sine homine et omnibus aliis speciebus; et sic ens potest intelligi sine bono.
 325 Nec tamen sequitur quod Deus possit facere ens sine bono, quia hoc ipsum quod est facere est producere aliquid in esse.

Articulus secundus

Secundo quaeritur utrum ens et bonum convertantur secundum supposita. Et videtur quod non: opposita nata sunt circa idem fieri; bonum autem et malum sunt opposita; cum igitur malum non sit natum in omnibus
 5 esse, quia, ut Avicenna dicit, ultra orbem Lunae non est malum, videtur quod nec bonum in omnibus entibus inveniatur; et ita bonum cum ente non convertitur.

2. Praeterea, quaecumque ita se habent quod
 10 unum ad plura se extendit quam aliud, non sunt convertibilia ad invicem; sed, sicut in iv cap. De divinis nominibus dicit commentator Maximus, bonum extendit se ad plura quam ens, extendit enim se ad non entia quae per bonum
 15 vocantur in esse; ergo bonum et ens non sunt convertibilia.

3. Praeterea, sicut Algazel dicit, bonum est perfectio cuius apprehensio est delectabilis; sed non omne ens habet perfectionem, materia
 20 enim prima non habet perfectionem aliquam; ergo non omne ens est bonum.

A 288 amittit *scrips.*] ammittit (*ex* admittit pA) *em.* A 298 et] etiam *praem.* pA 301 (habitu) do *in appendice col.* 133^{va} 307 sic autem] si *add.* pA 310 quod bonum] quia bonum *casu non del., praem.* pA, et *delevimus* 313 ideo: *signum novae paragraphi hic praem.* A 325 ens] bon *praem.* pA
 8 entibus] e *et quandam litt. imp. add.* pA 12 iv] iiii *em.* A *conf.* pA 18 dicit, bonum] b *praem.* pA 19 cuius *em.* A] *conf.* pA 19 apprehensio est] perfectio est *praem.* pA

Φ 287-288 accidentale...essentiale *inv.* Φ 291 contingit] continet Φ (-δ) 294 responsio] etiam (*ante patet δ*) *add.* Φ 297 ad finem² *om.* Φ (-α) 310 quod bonum] quia bonum secundum *praem.* Φ (*cf.* A) addit] aliquid *add.* Φ
 14 extendit se] se extendit (*extendat se δ'*) *post* plura Φ

1 Parall.: *Super Sent.* I d. 8 q. 1 a. 3; *I Pars* q. 5 a. 3; *Super Boet. De hebd.* lect. 3; *Cont. Gent.* II c. 41; *ibid.* III c. 20. 3 opposita...fieri: *cf.* supra q. 15 a. 3 11 in nota. 6 *Cf.* supra q. 5 a. 4 121 in nota. 14 *Scholia* cap. 5 § 1 (PG 4, 309 B). 18 *Cf.* *Metaph.* p. I tr. 5 (ed. Muckle, p. 129). 20 materia...aliquam: *cf.* Arist. *Metaph.* VII 2 (1029 a 20).